

Dissertatio anatomico-chirurgica de perfecta inguinalis herniae simplicis curatione.

Contributors

Le Rouge, Jean-Pierre.
Garre, Claude François.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/um3qvzxc>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

29


VIRIS ILLUSTRISSIMIS,
OMNIUM ORDINUM
ORNATISSIMIS,
PIETATE, JUSTITIA, PATRIÆ AMORE, SAPIENTIA,
SUMMO IN ÆGROTANTES STUDIO
SPECTATISSIMIS,
MAGNI NOSOCOMII PARISIENSIS
GUBERNATORIBUS VIGILANTISSIMIS,
QUORUM TUTELAM ET BENIGNITATEM
PER ANNOS OCTODECIM EXPERTUS,
HAS SUORUM LABORUM PRIMITIAS
IN ÆTERNUM GRATI ANIMI MONUMENTUM
VOVET, DICAT ET CONSECRAT

OBSEQUENTISSIMUS
J. P. LE ROUGE.

VIRIS ILLUSTRIS
OMNINO
O R N A T I S
L I T T E R A T I S
S U M M O I N D O C T R I N A T I S

PER ANNOZ OCTIDECIM EXPERIUS
HAB SUORUM LABORUM PERMITIAS
IN AETERNUM GRATI ANIMI MONUMENTUM
VOVET DICAT ET CONSECRAT

J. P. LE ROUGE



DISSERTATIO
 ANATOMICO-CHIRURGICA
 DE
 PERFECTA INGUINALIS HERNIÆ SIMPLICIS
 CURATIONE.

§. I.

IN abdomine, amplissimâ humani corporis cavitate, varia continentur viscera quæ præsertim digestioni, secretionibus & generationi dicantur; quò magis ad vitam necessaria, eò, si lædantur, imminentius instat periculum; hinc gravissimæ judicantur Herniæ. Infantes lacrymis & vagitibus, juvenes duris laboribus, senes inter vitæ tædia, fœminæ graviditatis

& parturitionis inter dolores, miseri perpetuâ defatigatione obrupti, divitesque molli otio languentes, huic teterrimo morbo obnoxii sunt; cui sanando infudârunt ex omni ævo artis periti. Sed, proh dolor! lento pede ars incedit. Quotidiè videntur agyrtae, auri fame pressi, scientiæ vacui, ægrorum fiduciam eludere, illos miris modis dilacerare, & aliquando, horresco referens, nefariis & lethalibus armis lacessere. Immortales claruerunt Auctores quorum vestigia si premanantur, munitissima ad hernias curandas via aperietur. Felices! nimium felices! si tantis operibus aliquid in posterum addere nobis datur.

§. I I.

TUMOR, à prolapsu partium in abdomine contentarum, efformatus, Hernia vocatur.

Differunt à se Herniæ, ratione loci, partium in tumore contentarum, causæ, accidentium, &c.

De inguinali tantum Herniâ simplici tum completâ, tum incompletâ, ut pote frequentiori, differere animus est; quæ *Enteroccele*, quandò intestina tumorem efficiunt; quandò omentum, *Epiploccele*; dum utraque, *Enteroepiploccele* dicitur.

Omnes Herniæ in inguine ortæ, generatim inguinales nominantur; distinguuntur ex aperturâ, in annulares & in cruales. Si tantum inguen Herniâ intumescat, *bubonoccele*, si scrotum simul *oscheoccele*, vocatur tumor.

Ut autem ad propositum deveniamus, quædam de Anatomia loci & naturâ morbi sunt præmittenda.

§. I I I.

EX ANATOMIA.

IN utroque inguine duæ reperiuntur naturales aperturæ,

5

irrupentibus internis partibus, exitum præbentes, annulus, scilicet, & arcus cruralis.

§. I V.

Ex diductione duorum limborum in quos, sesqui-pollice priusquam in pubem desinat, dividitur musculi externi aponevrosi, annulus oritur, obliquè situs patentior suprâ, angustior infrâ, per quem in viris, vasa spermatica, musculusque cremaster, unâ cum cellulari textu, impropriè funiculi tunica vaginalis dicto, educuntur; dùm in fœminis ligamentum rotundum, suo pariter cellulari textu concomitante, transeat.

§. V.

Arcus cruralis fit ejusdem aponevrosi orâ inferiori, quæ suâ duplicatione intus aucta, ligamentum mentitur, variis ab auctoribus nuncupatum *ligamentum inguinale*, *Fallopii*, *Poupartii*, atque *Vesalii*, licet de illo Vesalius taceat. De utroque ligamento sic alloquitur Morgagnius: « Evidentissimè comperî, ipsa non » peculiaris ligamenta, sed unam tendinis ejusdem (obliqui » externi) musculi oram esse (1). Hocce pseudo-ligamentum à superiore ilii ossis spinâ ad pubem extensum; nullam, nisi cum fasciâ latâ, mediantibus fibris aponevroticis firmioribus, connexionem habet; liberumque com meatum, à suâ parte posticâ, quasi fornicatum, arteriæ, venæ, nervo crurali, tendinibusque musculorum psoæ & iliaci præstat, arcumque cruralem efformat.

(1) Advers. III. pag. 2.

Fibrarum aponevroticarum , telæ cellularis, aliarumque partium circumstantium, implicatione clauduntur arcus sicut & annulus. Tam mirabilis fabrica impedit quominus partes in abdomine quasi liberæ & sæpè sæpius vehementer impulsæ faciliùs devolvant, cùm in homine stante, sedente, aut progrediente in inguen delabantur, ibique partes inferiores superiorum mole nimium premantur. Insuper inguen indefinenter liquore seroso ac pingui, quem glandulæ, vasa, necnon cellularis textus exsudant, millibutum, facilè diducitur vel laxatur: indè frequentior inguinalis Hernia.

§. V I:

PERITONÆUM transversis musculis adhæret, sed laxius in inguine quàm in umbilico; media quippè substantia eò celluliosior & spongiosior est, quò fit inguine vicinior. Unde, si cedant aperturarum oræ, maximè extenditur: indèque illius processus, nimirum *sacculus Herniosus*, qui prolapsa ambit ac continet.

§. V I I:

DE glandulis, vasis, telæque cellulari inguinis, superiùs dicta, sufficiant.

§. V I I I.

INVOLUCRA inguinum lævia, gracilia, partimque pilosa,

oleoso quodam humore continuò , ut jam diximus , ma-
defacta , facillimè distenduntur.

§. I X.

E X P A T H O L O G I A .

PATENTIORES aperturae §. III , debiliores , ipsarum orae partes
dimotae & elongatae cutisque ultra modum extensa , morbum
constituunt.

§. X.

HERNIARUM causae à pravâ partium dispositione & à nisu
quocumque , partes contentas propellente , aperturasque disten-
dente , desumuntur. Genuina igitur causarum divisio , in
disponentes & determinantes.

§. X I.

CAUSAE disponentes sunt naturales & acquisitae.

Priores saepè hæreditarias ab oris aperturarum § III. debi-
lioribus , aut à situ ossium iliorum antrorsum decliviori , pen-
dere constat.

Acquisitae verò potissimum ex otiosâ , molli sedentariâque
vitâ , habitatione in humidis , victu potuque aquoso , lacteo
& pingui , oriuntur : idcirco quorundam ordinum Monachis
hoc malum adeò frequens. Celeb. Gunzius in suo libello de
Herniis , eâ de re , sic alloquitur : *in Monachis crediderim
verisimilem magis causam hanc esse , quòd persæpè in genua
procumbere coguntur , in quo positu annuli muscutorum ab-
dominis pressioni intestinorum quàm maximè expositi sunt.*

Hujusce speciei causæ sunt etiã gestatio , partus , hydrops , &c.

§. X I I.

NISUS omnes qui musculorum abdominalium contractionem nimium intendunt , accipiuntur ut causæ determinantes : accidunt vociferatione , facibus alvi nimium induratis expellendis , laborioso partu , vomitu , tussi , ponderibus gravioribus attollendis , cursu , saltu , equitatione , tuborum insufflatione , &c. &c.

§. X I I I.

INTER causas Herniarum adhuc annumerantur peritonæi dilatatio & ruptura. Prior autem potius est effectus ; non extenditur enim peritonæum quin annuli columnæ §. IV , aut inguinale pseudo-ligamentum §. V , viscerum impulsui & ponderi cedant. Posterior , nimirum ruptura , licet à plurimis admissa , jure negatur ; dissectione enim sollicitè inquisita nunquam apparuit. Hoc tantummodò fieri potest , per accidens , si Hernia vehementer percussa fuerit (1).

§. X I V.

Herniarum simplicium diagnosi.

AD perfectam Herniarum inguinalium diagnosim , loci , causæ signorumque tumoris certa cognitio sufficit. Primus datur certitudinis gradus , si tumor aperturis §. IV , §. V , descriptis ;

(1) Platner. pag. 505 , art. 794.

9
respondeat; secundus, si ab allatis §. XI, §. XII, causis, proveniat; denique tertius, si ad signa attendatur, quorum alia sunt intestino, alia omento propria.

Hernia intestinalis tumorem æqualem, circumscriptum, plùs minùsve durum, digitorumque tactui renitentem exhibet; qui, si simplex, ægro supino, facilè versùs interiora, sponte vel taxi, *quodam cum murmure*, repellitur. Ubi omentalis, tumor animadvertitur mollis, inæqualis, doloris expers, intrà abdomen *sine murmure* descendens.

§. X V.

Herniarum simplicium prognosis.

QUEMADMODUM certum de quolibet morbo iudicium medentem decet; sic etiam nihil arduum magis quàm in Herniis, licèt simplicioribus, rectam elicere prognosim. Cave ne, vanâ speculationis allucinatus, temerè promittas! Desperandum enim, si Hernia causas disponentes §. XI agnoscat, à longo tempore existat, facilèque retrocedat; si locus tegumentis laxioribus operiatur, ibique parùm cellularis textus occurrat; si nimiùm distendantur apertura, ac tandem æger si quodam ad-versante afficiatur morbo, ut atoniâ ædæmate tussi, &c.

Ramex è contrà, præsertim intestinalis, determinantibus causis §. XII si producat, recens sit, difficilisque reductionis, æger aliàs floridâ, validâque sanitate fruatur, aut nunc debilis mox se refarciri promittat; partibus in abdomine repositis, si inguen tensum, levi rubro colore donatum, non omni sensu doloris expers remaneat; renixu naturali apertura gaudeant oræ; tunc, curatio *radicalis* speranda.

§. X V I.

AD certiore[m] prognosim quædam de sacco Hernioso adnotanda supersunt. Irrumpentes internas partes, ut supra diximus, concomitatur & cingit peritonæum, sicque sacculum efformat; qui eò crassior fit, quò morbus antiquior. Duplicem habet faciem; unam interiorem, levigatam, roreque indefinenter illinitam, quæ partes prolapsas ambit; alteram externam, cellulofam, vicinis partibus plerùmque adnexam.

§. X V I I.

NONNULLI Auctores celeberrimi, imò observationibus fulti, de sacculi adhæsiõne, partibus adjacentibus, diversimodè sentiunt. Alii contendunt illam non semper existere. Tales sunt Saviard (1), Ledran (2), La Faye (3), Petit (4), Arn... (5),

(1) Obs. XIX.

(2) Obs. LVIII.

(3) Not. in Dionis, pag. 324, edit. IV.

(4) Œuv. Posth. tom. pag. 338. La portion du péritoine, qui forme le sac, est rentré dans le ventre, & a repris son niveau avec le reste du péritoine.

(5) Trait. des Hern. tom. II, pag. 34 & seq. 58. & in appendice operis cui titul. *Mém. de Chirurg. in-4. tom. II, pag. 453.*

Mauchart (1), Mat. Georg. Pfan (2), qui asseruerunt sacculum ab aperturis § III. perfectè liberum & reductum, partes prolapsas adhuc continentem, aut ipsis agglutinatum pluriès invenisse.

Hancce sacculi sejunctionem, jam pluribus abhinc annis, nos ipsi agnovimus, cadaveris sectione, quam dilucidè perfecit meritissimus Magister l'Héritier.

Sacculi collum, gallicè *collet*, unicum sæpissimè rarò duplex reperitur. Si duobus locis contrahitur sacculus, suam lagenæ figuram in cucurbitinam mutat (3) & novum de suâ libertate subministrat argumentum.

Contrarium viderunt, aut potiùs nunquam huncce sacculi statum perceperunt, plures celeberrimi Auctores inter quos eminent D. Louis (4), Pott (5).

(1) In Diss. de Her. incarcer. inter disp. Chirurg. ab Hall. ed. t. III, pag. 86. Item, præsentè suprà laudato D^{no} Thibault, cum bubonocèles operationi in Collegio nostro se offerret cadaver Herniosi, operationem ego perfeci, separatoque sacco interno vasa spermatica, aliâ adhuc membranâ tectâ, vidimus. Undè similis conclusio..... 91. In cavum abdominis cum sacco, *integro reposito*, redundet..... Saccus hicce antè foramen annuli in posterum fluctuans, nec pristinum facilè accipiens tonum ex longâ dilatatione..... 92. Repositus (sacculus) in cavum abdominis non desistit à constitutione periculosâ.

(2) In Diss. de entere oscheocèle antiquâ sacculi Herniosi restitutione, ejus. tom. pag. 121..... Intestina simul cum involucre suo, sacculum intelligo, in abdominis cavitatem retropulsa sunt.....

(3) Arn Trait. des Her. tom. II. pag. 90.

(4) Mem. Acad. Reg. Chirurg. vol. IV. Réflex. sur la Hern..... J'ai ouvert un assez grand nombre de cadavres de personnes qui avoient été sujettes à Hernies, même de celles qui avoient été guéries radicalement en portant un bandage : on trouve à toutes le sac herniaire, ou la production du péritoine adhérente naturellement aux parties qui l'environnent.

(5) Je n'ai jamais rien vu, soit dans le cadavre, soit dans le vivant,

Celeber. Gunzius de sacculi Herniosi reductione sic alloquitur in Libell. jam citato : *Saccus , nisi vel recentissimum malum sit , vel scēione habitā restitui non potest..... Saccus , si recens Hernia , rarò , si antiqua , nunquam restituitur.*

Ex istâ decertatione , quid ad mentem nostram ? Cùm illa perrara (1) sacculi separatio , vel ipsius adhæsiō ad absolutam Herniæ simplicis curationem nullius sit momenti , nisi in methodo Celeb. nostri Petiti , §. XX. Constat enim innumeris observationibus (2) , curationem *radicalem* nihilominus obtineri ; licet fiat , vel non , sacculi reductio.

§. XVIII.

C U R A T I O.

Ad perfectam Herniarum simplicium curationem quæ sunt naturæ relinquenda , quæ arte tentanda , secernere æquè necessarium , æquè arduum est. *Experientia fallax.* Remediorum jactatoribus nimiùm ne confidas. Hîc inveteratæ Herniæ , causâ molis incurabiles judicatæ , nihilominus casu fortuito (3) aut arte peritâ (4) evanescere. Ibi recentes ac parvæ conatibus artis legitimâ administratione adhibitis , resistere videntur. Tantis è tenebris verum accipere summus labor.

qui puisse faire supposer que cette réduction soit possible. *Œuv. Chirurg.* tom. I. in-4^o. pag. 383.

(1) Arn.... Mem. Chirurg. in-4^o. pag. 8. appendicis.

(2) Ambroise Paré Lib. VIII, cap. V. Ledran, Obs. tom. II, p. 16. D. Louis, loco jam citato.

(3) Quod Clarissimus Præses & ego compertum habemus.

(4) Arn.... Trait. des Hern. tom. II, pag. 128 & seq.

§. X I X.

CURATIONI absolutæ obtinendæ , totam impendat artem suam Chirurgus , ut causæ disponentes §. XI , determinantefque §. XII aut mutantur aut vitentur , & locale vitium §. XI , deleatur. Indè pro vario casu varia instituenda curandi norma (1). Pravam corporis habitudinem , in meliorem reducat. Fluidis solidisque attendat , ipsisque diætâ ritè ordinatâ , idoneisque remediis subveniat : functiones læsas , aut restituat aut expeditiores reddat : exercitium regat , aut præhibeat : ægrum supinatum , pro re natâ , cubare jubeat (2). Uno verbo , diversa sūt medela pro morbi differentiâ.

§. X X.

LONGÈ distant à scopo qui , ab istis alieni regulis , unicè solliciti de nimiùm patentibus aperturis §. III , atque de peritonæi productione , conantur illas constringere vel obturare aut facculum destruere , mediante sectione , excisione , cauterisatione , futurâ , ligaturâ cerato filo aut aureo , unde *punctum auratum* , peractâ , causticis (3) & etiam castratione ; sed heu ! Nihilominùs fiet morbi reditus. Nil valet , nil prodest igitur viæ Hernialis obductio cicatrice producta , & nunquàm sine peri-

(1) Arn.... Trait. des Hern. tom. I, chap. XIV, pag. 115.

(2) Multi sunt qui cubitu supino sanati fuerunt , etiam citra aliorum remediorum usum Avenzoar 24. Thef... Hildan. cent. 6. Obs. 70.

(3) Quid de causticis censendum scitè consultèque statuerunt clarissimi Magist. Bordenave , in Actis Acad. Chirurg. & Magist. Auvity in suâ Thesi de periculo causticorum in Herniis curandis.

culo imminente tentata fuit (1). Indè perspicuè videmus quid expectandum sit de sequentibus methodis , quarum , prima celeb. nostri Petiti , in quâ sacculus in acervum collectus apertura inferitur , ibique agglutinatur : secunda Dom. le Blanc (2) , quâ sacculus inciditur , vitatis aperturae oris : tercia demùm D. Ant. Petiti , celeb. Med. Paris. in suâ Thes. proposita : *an plumbeâ lamellâ sub cutim novâ arte insinuatâ rectius , tutiusque quàm alio quovis artificio contineantur in sede partes , quæ prolapsu suo Hernias facere solent ?*

§. X X I.

TRIA sunt exteriùs agenda ; 1^o. partes sublevandæ debiliores, ne pondere viscerum graviùs opprimantur ; vis reprimenda abdominalium musculorum , qui , dùm agant , oras aperturae se invicem distrahunt : hìc apprimè profunt fabrefactæ fasciæ ventrales , gallicè *ventrières* , quæ ventrem sustinendo musculorum actioni favent ; 2^o. partes dilabentes retinendæ sunt mediante Bracherio , artificiosè , methodicèque constructo ; 3^o. demùm corroborantibus topicis firmandæ ; & certè uberior est illorum familia , in quâ , pro mente suâ , eligat quisque ; omnia enim recensere quid opus ? Si quis tamen voluerit , pervolvat opera Hollerii , Paræi , Sennerti , Sculteti , Fonscæ , Dionisii , Arnoldi , &c. Aliundè nemo inter peritissimos

(1) Arn... Mém. de Chirurg. in-4. tom. II, pag. 453, 455 & 461....
Petit , Œuv, posth. tom. II, pag. 354 & seq.... Je ne suis point le seul qui ait observé que les opérations faites aux Hernies , sans étranglement , n'ont point de suites si heureuses que celles qui sont faites aux Hernies étranglées.....

(2) Précis d'opérat. Chirurg. tom. II, pag. 174.

Chirurgos ignorat è triplici fonte animali , scilicet , vegetabili mineralique regno remedia haurienda , & legibus tum Pharmaciae , tum Chymiae , habitâ etiam ratione nostrarum partium , componenda. Non defunt leporina ursinaque axungia , ovorum albumina , lacertæ , formicæ majusculæ ; Herniaria , pilosella lutea , symphitum majus , sigillum Salomonis , tormentillæ , nuces cupressi , coriarius pulvis , pix , resina pini , sal gemmæ , vitriolum , alumen , minerales aquæ meraque aqua gelida : in officinis etiam sunt emplastrum contra rupturam , spiritus acidi & ardentes , vinum aromaticum , aqua rabelliana , &c. quæ languentes partes corroborare valent.

Sciscitanti nùm ita sanatus bracherio deinceps indigeat ? Responderemus affirmativè : qualiscumque sit enim partium status post sanationem , non firmior est quàm antè morbi generationem , ac proinde Hernia nihilominus revertere potest ; idcirco leve bracherium sicuti , prophylacticum , adhibendum est.

F I N I S.

HANC Dissertationem , Deo juvante & Præside M. CLAUDIO-FRANCISCO GARRE , Collegii Chirurgorum Parisiensium Magistro , Academia Regiæ Chirurgiæ Consiliario , Saluberrimæ Facultatis Medicina Remensis Doctore , Scientiarum & Artium Academia Andegavensis Socio , Regiæ Scholæ Militaris Chirurgo primario , Majoris Equilis , necnon nobilium regis Ephëborum Chirurgo ordinario , tueri conabitur JOANNES - PETRUS LE ROUGE Parisinus , præclaræ Artium Facultatis in

*almâ Universitate Parisensi Magister, in Remensi Doctor
Medicus, nuper Magni Nosocomii Parisiensis Chirurgus
internus, & Regalis Armenti Medicus ordinarius, Dis-
sertationis Auâtor.*

*Die Sabbati 27 mensis Augusti, anno R. S. H. 1785, à
sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareâ.

M. DCC. LXXXV.